

quam debet. Ergo passio non potest esse peccatum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum homo non inquinetur per peccatum, nisi per illud quod ab homine est, ut Marth. xv. 18. dicitur: (4) Quae procedunt de homine, haec sunt quae coinquinant hominem; non potest esse quod passio, in quantum passio, peccatum sit: quia passio non est a patiente in quantum huiusmodi, sed in patiente ab alio inducitur. Sed tantum per accidens contingit passionem esse peccatum, secundum quod operatio voluntatis, per quam principium nostrorum, actuum sumus, aliquo modo ad passionem, se habet. Sed ad diversas passiones diversimode se habet. Sunt enim quaedam passiones quae sunt passionibus, sicut praecipue patet in passionibus corporalibus, quae ab exteriori infliguntur, ut sectio, & adustio; vel ab aliquo etiam principio interiori agente etiam naturali, ut febris, vel aliquid huiusmodi: & ad has passiones se habet voluntas sicut causans eas, sicut est in passionibus sponte assumptis, vel sustinens eas libenter, propter aliquem finem; & sic contingit in his passionibus meritum, si sint decentes, & demeritum si sint indecentes. Quaedam autem passiones sunt quae non sunt pure passiones, sed sunt simul & passiones, & operationes quaedam, sicut patet in passionibus quae dicuntur operationes animae: sentire enim, ut vult Philosophus in II. de Anima, text. xcvi. 1. pati quoddam est; sed hoc verum est, in quantum sentire perficitur per hoc quod visus a sensibili moveretur, recipiendo speciem eius qua informatur, & operationem propriam exercet: & ita est in omnibus potentiis passivis, quales sunt omnes potentiae sensitivae partis, & etiam intellectiva, praeter intellectum agentem, & praeter virtutes motivas organo affixas: unde & intelligere quoddam pati est, & velle, & appetere; propter quod ira, & huiusmodi, passiones animae dicuntur, quamvis in his magis vel minus proprie nomen passionis sumatur, secundum quod plus & minus acceditur ad transmutationem corporalem; quae quidem consequens est in ira, & invidia, & huiusmodi (5) vel etiam secundum materiales qualitates, ut calidum, & frigidum; & huiusmodi. In sensu autem est secundum species in organo materiali spiritaliter, & non materialiter receptas; sed in intellectu secundum receptionem pure spiritualem: & ideo illae passiones quae plus de ratione passionis habent, minus sunt in potestate nostra; & propter hoc specialius passiones dicuntur. In omnibus tamen his non est peccatum, nisi secundum quod voluntas aliquo modo circa eas se habet imperando, in quantum sunt operationes quaedam; vel etiam acceptando, secundum quod sunt passiones.

Ad primum ergo dicendum, quod motus sensualitatis non est peccatum, nisi secundum quod in potestate voluntatis est, ut supra dictum est; & non in quantum est passio quaedam.

Ad secundum dicendum, quod nomen irae, secundum propriam impositionem, passionem quamdam significat; sed postea transumptum est ad significandum vitium quoddam; cum enim virtutes quaedam, quamvis sint medietates, magis opponantur quibusdam extremis quam aliis (sicut mansuetudo magis opponitur irae quam defectui eius) contingit quod vitia opposita talibus virtutibus nominantur

(4) Vulgata: Quae autem procedunt de ore, de corde excunt; & ea coinquinant hominem. (5) Al. est etiam. (6) Al. aliquo. (7) Al. deest culpa. (8) Al. in poena. (9) Al. incommunicabili.

nomine, passionum ad quas refranandum praecipue virtutes ordinantur: & hoc modo ira, secundum quod vitium nominat, non est nomen passionis, sed actus, vel habitus.

Ad tertium dicendum, quod passio non pugnat contra rationem quasi per se oppositum virtuti, quia ratio perficitur; sed quia per se opponitur medio, quod virtus, & ratio in passionibus statuit; sicut etiam nigredo pallori, & rubedini opponitur.

Ad quartum dicendum, quod propter abundantiam passionum dicitur vitium esse, sicut propter causam materialem; sed per se vitium est in actu aliquo deformi circa passiones illas; & ideo non oportet quod passiones secundum se vitia sint.

Ad quintum dicendum, quod passionibus Sancti non meruerunt, nisi secundum quod eas voluntarie sustinuerunt, & propter Deum; & ita etiam possunt esse demeritoriae, in quantum voluntas (6) alio modo ad eas se habet.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum unum possit esse poena alterius peccati.

I. 2. q. lxxxvii. art. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum non possit esse poena peccati. Omnis enim poena ordinata est, & a Deo est. Sed nulla (7) culpa ordinem habet, nec a Deo est. Ergo culpa poena esse non potest.

Præterea. Causa, & effectus non incidunt in idem. Sed culpa est causa poenae. Ergo non potest esse idem culpa, & poena.

Præterea. Poena ordinatur contra culpam, ut medicina eius; poenae enim medicinae quaedam sunt, ut in II. Ethic. cap. 1. dicitur. Sed peccatum peccato medicina non est: quia praecedens peccatum persequens non curatur, sed magis sequens peccatum in peccatum inclinatur. Ergo peccatum non potest esse poena peccati.

Præterea. Si peccatum punitur peccato, aut convenit omni peccato, aut quibusdam peccatis tantum. Si convenit omni peccato, ergo erit abire in infinitum in peccatis, ita quod post quodlibet erit aliud peccatum. Si autem non sit commune in omnibus peccatis; sed ultimum peccatorum non punitur peccato, sed tantum poena aeterna; cum primum peccatum punitur peccato, (8) & poena aeterna, ultimum peccatum minus punitur quam primum, quod duobus poenis punitur. Contingit autem quod ultimum peccatum est gravius quam primum. Ergo gravius peccatum minus punitur; quod videtur iniustum.

Præterea. Nullus punitur in eo quod libenter facit. Sed quicumque peccat, peccatum voluntarie, & libenter facit. Ergo nullus punitur in hoc quod peccat; & ita peccatum non est poena peccati.

Sed contra Augustinus in Lib. I. Confess. cap. xii. dicit: *Iussisti, Domine, & sic est, ut ipse sibi poena sit omnis inordinatus animus.* Sed inordinatus animus est malum. Ergo est poena.

Præterea. Quod aliquis privetur maximo bono, non potest esse sine poena. Sed peccatum est aversio (9) ab incommutabili bono. Ergo peccatum est poena.

Ad primum ergo dicendum, quod omnis poena a Deo est, sed non eodem modo. Est enim quaedam poena a Deo sicut ab agente, sicut sunt poenae sensus, quae per quamdam actionem causantur: oportet enim omnis actionis reductionem in primum agens fieri sicut in causam. Quaedam vero poenae sunt a Deo non sicut ab agente, sed potius sicut a non agente, ut subtractio gratiae: ex eo enim quod Deus gratiam non influit, causatur in isto gratiae privato. Utrouque autem modo invenitur poena annexa.

In II. Sent. Tom. II. (4) forte afflictionem. (5) Al. deest quod.

Ad hoc etiam sunt multae auctoritates in litera inductae.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod contingit idem esse culpam, & poenam; non tamen secundum eandem rationem: quia omnis poena, in quantum poena est, voluntati contraria invenitur; omnis autem culpa voluntarii rationem habet. Contingit autem quod illud quod est culpa, dicatur poena tripliciter. Uno modo ratione effectus, quia scilicet naturam corrumpit, & gratiam subtrahit; quae poenae quaedam sunt; sed hoc contingit dupliciter. Uno enim modo culpa causat poenam ex parte aversionis, in quantum scilicet per culpam quis privatur gratia, & Deum amittit, & naturae bonum in eo, corrumpitur. Alio modo ex parte conversionis; & hoc dupliciter. Uno modo secundum quod quaedam peccata passionem quamdam annexam habent, ut ira, & invidia, & aliquid huiusmodi: quia ex inordinato vindictae desiderio corpus imaginationi obediens, & affectui, quadam passione concitatur, quae ira dicitur materialiter loquendo; & hoc (4) affectionem habet. Alio modo ex eo quod actus peccati sine labore non exercetur: propter quod Sap. v. 7. dicitur: *Ambulavimus vias difficiles.* Alio modo peccatum poena dicitur, in quantum effectus cuiusdam poenae est: ex hoc enim quod aliquis mortaliter peccat, ut dictum est, gratia privatur: & quia per gratiam continebatur ne in peccatum tueretur, fit ei ipsa subtractio gratiae quaedam causa sequens peccati, in quod cadit, auxilio gratiae destitutus: & simili modo dici potest de omni alio auxilio quod Deus hominibus impendit, ne in peccatum cadant, sicut sunt impedimenta peccandi exteriora, sicut dicitur Osee 11. 6. *Sepiam viam tuam spinis*; & haec quidem auxilia, quae sunt impedimenta peccandi, quandoque subtrahuntur merito praecedentis peccati, ut sic homo in peccatum libenter ruat. Tertio modo potest dici id quod est culpa, esse poena, non ratione alicujus praecedentis, vel sequentis, sed ratione ipsius actus deformis: nulli enim dubium est quin ex conjunctione inconvenientium quaedam poena sit homini, ut patet etiam in exterioribus (5) quod si quis maxima auctoritatis indecenti habitu indueretur, hoc sibi poena esset: unde nec sine poena potest esse quod actio deformis, & rectitudine rationis privata, in ipsa natura rationali invenitur: & ideo talem actionem facere poenale quoddam est. Sed tamen non ab eodem habet quod sit poena, & culpa: in quantum enim a voluntate progreditur, culpae rationem habet; sed in quantum praeter intentionem voluntatis ipsam animam deturpat, sicut res indecens sibi, poenae rationem accipit: hic tamen modus ad primum reduci potest; ipsa enim deturpatio est quidam peccati effectus.

Ad primum ergo dicendum, quod omnis poena a Deo est, sed non eodem modo. Est enim quaedam poena a Deo sicut ab agente, sicut sunt poenae sensus, quae per quamdam actionem causantur: oportet enim omnis actionis reductionem in primum agens fieri sicut in causam. Quaedam vero poenae sunt a Deo non sicut ab agente, sed potius sicut a non agente, ut subtractio gratiae: ex eo enim quod Deus gratiam non influit, causatur in isto gratiae privato. Utrouque autem modo invenitur poena annexa.

In II. Sent. Tom. II. (4) forte afflictionem. (5) Al. deest quod.

culpa: quia illa poena quae efficitur per peccatum ex parte suae conversionis, est poena sensibiliter hominem affligens, ut ira perturbatio, & labor inordinatus in peccato; & hoc quidem a Deo est; & iuste ordinatur, ut qui delectationem contra Dei ordinationem appetit, praeter suam intentionem afflictionem incurrat, in hoc etiam ubi propriae libidini obsequitur. Illius autem poenae quae est subtractio gratiae, quae est effectus unius peccati, & causa alterius, est causa Deus, sicut non agendo, & similiter aliarum poenarum similium: & hoc constat iuste ordinatum esse, ut qui contraria gratiae appetit, gratiam amittat; & Dei auxilium, qui contra Deum agit; & per hunc etiam modum est causa poenae illius quae est ipse actus deformis peccati: non quia ipsum causet, sed quia ipsum permittit, eum non impediendo: & hoc etiam similem iustitiae ordinem cum praedictis habet; huiusmodi autem ordinis causa Deus est. Ex quo patet quod id quod culpa, & poena dicitur, secundum quod ad peccantem refertur, ut ab eo voluntarie exiens, in quo ratio culpae consistit, inordinationem habet; sed secundum quod habet rationem poenae, ut a Deo, ordinatum est debito ordine iustitiae.

Ad secundum dicendum, quod causa, & effectus respectu ejusdem non incidunt in idem, secundum eundem modum causae (quia secundum diversa genera causarum etiam hoc non est inconveniens ut idem sit ejusdem causa, & causatum, sicut finis est causa efficiens, & efficiens est causa finis) sed respectu diversorum non est inconveniens ut etiam secundum idem genus causae aliquid sit causa unius, & causatum ab altero: & ita etiam nihil prohibet aliquid quod est culpa, esse poenam alterius peccati.

Ad tertium dicendum, quod poena ordinatur ut medicina ad culpam, sed non semper ut medicina illius qui peccavit (quod enim latro suspendatur, non est ad correctionem eius; similiter quod homo in inferno damnetur) sed quandoque ordinatur ad culpam ut medicina alterius; sicut fur suspenditur in bonum totius communitatis, ne passim furta committantur; & aliquis in inferno damnatur ad decorem universi, ne aliquid inordinatum remaneat, si culpa per poenam non ordinetur.

Ad quartum dicendum, quod hoc est per accidens quod ultimum peccatum per aliud peccatum non punitur, quia scilicet vel vita peccantis finitur, vel etiam animus ejus per poenitentiam in melius immutatur; sicut etiam & primum peccatum tollit gratiam, quam secundum non tollit, quia eam non invenit; sed tolleretur, si inveniret: & similiter est in proposito.

Ad quintum dicendum, quod in actu peccati est aliquid quod peccator vult, ut delectationem; aliquid vero est quod non vult, immo praeter intentionem ejus accidit, ut corruptio naturae consequens, vel etiam ipsa indecentia actionis; & ideo in hoc quod libenter facit, punitur, dum ex hoc quod libenter facit, aliquid accidit praeter intentionem ejus, quod voluntati ejus adversatur.

ARTICULUS IV.

Utrum omnis poena infligatur pro peccato.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod non omnis poena infligatur pro peccato. Quia

(4) forte afflictionem. (5) Al. deest quod.

Quia ut Augustinus super Cant. Deur. (2) dicit, quinque modis flagella contingunt: vel ut justis merita per patientiam augeantur, ut Job; vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo; vel ad corrigendum peccata, ut Mariæ lepra; vel ad insitiam pœnæ, ut Herodi, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur; vel ad gloriam Dei manifestandam, ut de cæco nato. Sed tres istorum modorum non ostendunt pœnam pro peccato aliquo infligendam. Ergo non omnis pœna pro peccato infligitur.

2. Præterea de Christo dicitur I. Petr. 11. 22. *Qui peccatum non fecit*: & tamen multas pœnas sustinuit. Ergo non omnis pœna pro culpa infligitur.

3. Præterea. Dicitur, quod omne peccatum est pœna secundum primum modum: nec tamen omne peccatum est pœna peccati, ut ibidem dicitur. Ergo non omnis pœna est pœna peccati.

4. Præterea. Culpa virtuti opponitur; & sicut virtuti debetur præmium, ita & culpæ pœna. Sed virtus non habet præmium in his temporalibus bonis, sed in æternis. Ergo nec culpa per amissionem temporalium bonorum punitur à Deo. Cum ergo sint quædam pœnæ in amissione horum bonorum, videtur quod quædam pœnæ non sint pro culpis infligendæ.

5. Præterea. Frequenter via impiorum prosperatur, ut Hierem. xlii. dicitur, & Job xxi. & est contrario iusti in afflictione sunt. Hoc autem non esset, si pœna culpæ tantum redderetur. Ergo non omnis pœna culpæ alicui redditur.

Sed contra est quod Gregorius in oratione, (b) in collecta fer. 6. ciner. dicit: *Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas*. Sed omnis pœna nocuum quoddam est. Ergo pœna esse non potest nisi ubi dominetur iniquitas.

Præterea Hieronymus (c) dicit: *Quidquid patimur, peccata nostra meruerunt*. Sed omnis pœna passiva est corruptio boni, ut supra dictum est. Ergo omnis pœna pro merito peccati redditur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod nullus punitur nisi in eo quod aliquo privatur quod sibi bonum est. Sciendum est autem, quod aliquid est bonum homini dupliciter: vel secundum naturam propriam, in quantum scilicet homo est; vel secundum naturam communem, in quantum est animal, vel vivum, vel aliquid hujusmodi: & quia homo est id quod est, in quantum rationalis, & intellectus habens, ideo bona ei, in quantum homo est, principalia sunt ea quæ sunt secundum rationem bona, ut virtutes, in quibus natura intellectiva perficitur; & ex privatione horum bonorum nullus pœnam habet, nisi propria culpa. Sunt autem secundario modo bona rationis, quæ ad opus virtutis organice, & instrumentaliter deserviunt, ut sanitas corporis, & res exteriores. Hujusmodi autem non sunt simpliciter bona ratio-

(1) Al. servatio. (2) Vulgata: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi*. (3) *Supple culpa naturæ*. (4) Al. ad profectum. (5) Vulgata: *propter scelus*. (6) Al. tamen.

Ex Bona. P. NICOLAI. (a) Atqui nec tale quidquam Glossa refert super Deuter. xxxii. ubi Moysi canticum continetur, nec ullus Augustini Commentarius in canticum hoc extat inter opera vulgaria, nec in quæstionibus Deuteronomii, ubi pars quædam ejus explicatur, tale quidquam occurrit; sed ex tractat. cxxiv. in Joann. ex conc. in Psalm. ix. & conc. in Psalm. lvi. sparsim colligi potest. (b) Quæ post Missam dicitur super populum ad humiliandum capita Deo. (c) Quod subjungitur ex Hieronymo, non occurrit expresse.

nis, sed secundum aliquam mensuram, prout scilicet ad opus virtutis adjuvant: unde Philosophus dicit in X. Ethic. cap. xlii. Quod superabundantia divitiarum, quæ ad opus virtutis impedit, bona fortuna dicenda non est, sed mala. Unde si aliquis privatur his bonis, quantum ad id quod non proficit ad opus virtutis, sed magis deficit, talium bonorum (1) privatio non est pœna hominis, in quantum est homo; sed quando privatur eis quibus indiget ad opus virtutis: unde dicitur Proverb. xxx. 8. (2) *Divitias, & paupertatem ne dederis mihi*. Unde nullus nisi pro culpa punitur in subtractione horum bonorum, in quantum virtuti necessaria sunt: unde Psalm. xxxvi. 25. *Junior fui, etenim senii; & non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem*. Si autem consideretur homo secundum naturam communem, sic omnia bona corporis, & etiam exteriora, sunt bona sibi: unde quælibet privatio horum bonorum quædam pœna est sibi. Non autem omnis talis pœna inducitur pro peccato proprio ipsius; sed tamen semper aliquod peccatum sequitur, ad minus peccatum naturæ: quia nisi humana natura per peccatum originale infecta esset, nullam molestiam, vel defectum homo in his pateretur.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc quod homo hic ad augmentum meriti flagellatur, non est sibi pœna, in quantum est homo, sed bonum ejus; tamen est pœna sibi, in quantum naturam animalem habet: & ideo talis pœna non sequitur culpam propriam illius qui peccat, sed culpam naturæ infectæ, quæ (3) si facta non esset, homines sine hujusmodi molestiis (4) ad perfectum meritum pervenerent.

Ad secundum dicendum, quod Christus nullo modo pœnam habuit aliquam quæ esset pœna hominis, in quantum est homo: quia in bonis rationis superabundavit, nec aliquem defectum in eis passus est. Habuit tamen pœnam aliquam quantum ad naturam communem: & ideo non oportuit quod esset aliqua culpa in eo; sed quod aliqua culpa præcessisset in natura humana: unde dicitur Isai. llii. 8. (5) *Propter peccata populi mei percussit eum*.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod dicitur, quod non omne peccatum est pœna peccati; intelligendum est peccati alterius. Primum enim peccatum effective, & causaliter pœna dici potest, in quantum corruptio naturæ, quæ per illud fit, quædam pœna est; non autem pœna alterius præcedentis peccati, sed ipsiusmet peccati quod (6) talem corruptionem inducit.

Ad quartum dicendum, quod sicut virtus non habet per se præmium in his temporalibus bonis, sed per accidens, secundum quod talibus indiget ad virtutis actum; ita etiam nec culpa in his punitur quasi essentiali pœna, sed quadam accidentali, secundum quod subtractio horum bonorum temporalium in detrimentum etiam spiritualium redundat, quatenus pœna hic incipiat, & in futuro terminetur.

Ad quintum dicendum, quod hoc quod impii prosperitatem habent, frequenter in eorum malum

est, ut ex dicto Philosophi inducto patet: unde in hoc ipso puniuntur. Similiter etiam & quod iusti in adversitatibus sunt, in eorum bonum cedit, quia per hoc ad virtutem proficiunt: unde non eis pœna, præcipue in quantum homines sunt, sed quasi pro præmio redditur.

ARTICULUS V.

Utrum distinctio bonorum sit conveniens.

1. 2. quæst. xviii. art. 1.

1. AD quintum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ponitur distinctio bonorum, ut quædam dicantur bona ex genere, & quædam ex fine, & ex causa. Quod enim alicui convenit secundum genus suum, non poterit removeri ab eo per aliquam differentiam additam: quæcumque enim differentia animali addatur, semper in eo sensibile remanebit. Sed reficere esurientem, & similes actus, quos dicit bonos ex genere, male fieri possunt, ut si propter inanem gloriam fiant. Ergo inconvenienter (1) boni ex genere dicuntur.

2. Præterea. Sicut se habet malum ad genus mali, ita & bonum ad genus boni. Sed actus qui sunt ex genere mali, nullo modo boni esse possunt, ut occidere innocentem, vel aliquid hujusmodi. Ergo nec illi actus qui mali esse possunt, ex genere boni dicendi sunt.

3. Præterea. Cuilibet generi respondet sua species. Si ergo est aliquis actus bonus ex genere, debet assignari aliquis actus bonus ex specie: quod cum prætermittitur, videtur distinctio insufficientis.

4. Præterea. Bonum est ex fine, ut in III. Metaph. text. v. Philosophus dicit. Sed materia, & finis non incidunt in idem, ut in II. Physic. text. lxx. dicitur. Videtur ergo quod inconvenienter dicantur actus super debitam materiam cadentes, ex genere boni.

5. Præterea. Materia actus est objectum ejus. Objectum autem habet rationem finis. Ergo si dicitur actus bonus ex genere ex materia debita super quam cadit, videtur quod inconvenienter distinguitur bonum ex genere, & bonum ex fine.

Sed contra. Genus sumitur ex materiali principio, ut Avicenna dicit II. par. Logic. c. 1. Si ergo aliquis actus ex materia super quam cadit, bonitatem habeat, convenienter ex genere bonus dicitur.

Præterea. Quod omnibus existentibus in aliquo genere convenit, eis ex natura generis sui competit. Sed actibus cadentibus super debitam materiam secundum (2) ordinationem sui generis, quædam bonitas convenit. Ergo convenienter boni ex genere dici possunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut Dionysius dicit iv. cap. cœlest. Hierat. in substantiis omnibus invenitur essentia, virtus, & operatio. Horum autem talis est ordo, quod virtus ab essentia, & operatio à virtute procedit: & quia quod à bono procedit, non potest esse nisi bonum; ideo sicut essentia, & virtus bona sunt, ita & operatio, secundum quod à virtute agentis procedit. Sed quia virtus in voluntarie agentibus ad multa se habet, ideo actio ex virtute.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. deest boni. (2) Al. additur totam. (3) Al. deest quia.

agentis determinationem non habet; sed propria determinatio actus est ex objecto: unde si objectum sit proportionatum, actus ex ipso objecto quamdam ulteriorem bonitatem recipiet. Et quia propria determinatio qua aliquid determinatur, est determinatio per formam generis; ideo hujusmodi actus ex determinatione objecti bonitatem habentes, dicuntur boni ex genere. Sed quia actum aliquem circa idem objectum contingit diversimode se habere, ideo adhuc actus ex objecto determinatus, est ulterius determinabilis per alias circumstantias: quæ si convenientes fuerint, ex eis quamdam ulteriorem bonitatem recipiet, & dicitur bonus ex circumstantiis, quousque perveniat ad perfectam bonitatem actus, quæ est per informationem habitus, & tunc dicitur bonum virtutis. Sic ergo patet ratio distinctionis bonitatis actuum quæ in littera ponitur, & quomodo hæc bonitates ad invicem se habeant. Prima enim bonitas, quæ est ex essentia actus, communis est omnibus actibus: unde ipsa substernitur omnibus aliis bonitatibus; inter quas primo supervenit sibi bonitas quæ est ex debita materia; super quam iterum inducitur alia bonitas quæ est ex fine, & aliis circumstantiis, & ex forma habitus: & secunda bonitate subtracta, non potest esse tertia; sed tamen posita secunda, non necessario tertia ponitur: & ideo contingit actum habere bonitatem ex materia, & tamen eum male fieri propter indebitas circumstantias.

Ad primum ergo dicendum, quod illa bonitas quæ est ex genere, manet in actu, quantumcumque per alias circumstantias indebitas deordinatur; sicut etiam quantumcumque ab anima tollatur gratia, remanet in ea bonitas naturæ: unde non dicitur actus qui est bonus ex genere, male fieri, quia privetur ab eo bonitas sui generis, sed (3) quia privatur bonitate circumstantiarum.

Ad secundum dicendum, quod unus defectus sufficit ad hoc quod malum aliquid esse dicatur; sed non una perfectio sufficit ad hoc quod simpliciter sit bonum: quia bonum contingit ex una & perfecta causa, sed malum ex particularibus defectibus, ut Dionysius dicit de div. Nom. cap. iv. & ideo illud quod est bonum ex genere, non est necessarium quod simpliciter sit bonum; sed potest male fieri: quod autem est malum ex genere, simpliciter est malum, nec bonum fieri potest.

Ad tertium dicendum, quod sicut genus determinatur per speciem; ita etiam bonum in genere determinatur per bonitatem quæ est ex fine, & ex aliis circumstantiis: & ideo illud bonum quod est ex fine, & circumstantiis, responderet bono quod est in genere, sicut species generi: unde & ejus prædicationem recipit: pascere enim esurientem propter Deum, est pascere esurientem; sed non convertitur.

Ad quartum dicendum, quod est duplex materia: ex qua, vel in qua, & materia circa quam: & primo modo materia dicta non incidit in idem cum fine; sed secundo modo est idem cum fine: quia objectum finis actus est.

Ad quintum dicendum, quod actus aliquis habet duplicem finem, scilicet proximum finem, qui est objectum ejus, & remotum, quem agens intendit: & ideo cum bonum ex fine distinguitur contra bonum ex genere, intelligitur de fine remoto, quem agens intendit.

Yy

EX

EXPOSITIO TEXTUS.

Istas pœnas pauci vident. Rationem huius reddit Philosophus in IX. Ethic. cap. XIX. quia natura intellectualis, quæ suis bonis per huiusmodi destituitur, occulta est; sed natura exterior magis apparet: unde magis (4) est creditum à sensibilibus hominibus se esse hoc quod sunt propter naturam sensibilem, quam per naturam intellectualem: & hoc ideo quia quod nocet eis secundum intellectualem naturam, non reputant pœnam, sed solum quæ nocent secundum naturam exteriorem eis notam; quamvis è contrario sit secundum rei veritatem.

(5) *Enumerat multa quæ peccata sunt, & pœna peccati.* Intelligentum est de his quæ sunt in genere

DISTINCTIO XXXVII.

Aliorum ponit sententiam, qui dicunt, malos actus nullo modo esse à Deo; nec esse bonos, sive in eo quod sunt, sive alio modo.

Sunt autem & alii plurimi longe aliter de peccato, & de actu sentientes. Asserunt enim voluntatem malam, & actum malum peccata esse, & nulla ratione (7) bona; nec secundum aliquam rationem ex Deo auctore esse, quia sine Deo fiunt: sine eo namque, ut ait Evangelistâ, factum est nihil, idest peccatum: quod dicitur esse nihil: non quia non sit actio prava, vel mala voluntas, quæ aliquid est; sed quia à vero esse separat homines, & ad malum trahit; & sic ad non esse deducit. Qui enim à summi boni participatione recedunt, quod solum vere, ac proprie est, merito non esse dicuntur. Ideoque Augustinus dicit super Joannem (tract. 1.) peccatum nihil esse, nihilque fieri homines cum peccant. Hæc igitur ratione adstruunt nihil esse, quia à vero esse hominem elongat: voluntatemque malam, atque actionem, sive locutionem malam peccatum esse dicunt: quia prævaritio, & inobedientia hæc sunt, & contra legem Dei fiunt; quæ tamen sunt, sed ab homine, vel à diabolo, non à Deo. Nullatenus enim à Deo hæc esse dicunt, sive in quantum sunt, sive alio modo.

Qualiter determinent verba Augustini præmissa, quibus ait, omne quod est, in quantum est, bonum esse.

Illa quoque Augustini verba quibus dicit, omne quod est, in quantum est, bonum esse, & Deum habere auctorem, de naturis, sive de substantiis tantum accipienda fore tradunt. Substantiæ vero nomine, atque naturæ dicunt significari substantias ipsas, & ea quæ naturaliter habent, scilicet quæ concreata sunt eis; sicut anima naturaliter habet intellectum, & ingenium, & voluntatem, & huiusmodi. Quod ex verbis Augustini præmissis colligitur, ubi bonum hominem appellat bonam naturam, & malum hominem malam naturam. Secundum hanc igitur assertionem, vel acceptionem, mali actus non sunt naturæ, vel substantiæ, nec etiam boni actus. Quod utique Augustinus videtur innuere in Libro I. Retract. (cap. XLII.) distinguens inter substantias, sive naturas, & bonas actiones, sive malas. Aperiens enim quomodo intelligendum sit quiddam in Libro de vera Religione cap. xxx. ab eo traditum, ait: „Hoc de substantiis, atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus, atque peccatis.“ Aperte hic videtur dividere inter naturas, sive substantias, & actiones, sive peccata; ideoque asserrunt præfati doctores, actiones interiores, vel exteriores non esse naturas, vel substantias: quæ si malæ sunt, peccata sunt, neque à Deo sunt. Quod vero mali actus non sint naturæ, Augustinus (a) Lib. I. cap. xxx. videtur notare in prima responsione contra Pelagianos, ita dicens: „Opera diaboli, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res:“ Idem in quarta: „Omne malum natura non est; sed actus accedens alicui ex defectu boni. Quamobrem quod natura non est, Deus non fecit: quia natura est omne quod fecit.“ Item cap. XLII. ejus Lib. „Omne quod natura bonum est, Deus ex nihilo fecit, non diabolus.“

Secundum hos res aliquæ sunt quæ à Deo non sunt, quibus homines mali sunt.

EX quo colligitur, res aliquas esse quæ à Deo non sunt; eisque homines mali sunt: quod nihilominus & ipsi concedunt, innitentes verbis Augustini superius positâ, qui in Enchir. cap. XIX. determinans illa verba Prophetæ, Væ his qui dicunt malum bonum, dicit, de ipsis rebus quibus homines mali sunt, non (4) Al. est credendum sensibilibus. (5) In editis: *Media quæ sunt, & peccata sunt &c.* (6) Al. additur illud. (7) Al. bonam.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Seu Lib. I. Hypognost. contra primum Pelagianum articulum, ut prope finem videre est: ut & sequens appendix ex eisdem Hypognostici Lib. IV. contra quartum Pelagianum articulum sumitur, ubi straxim ab initio, sed alia serie habetur quam hic posteriora prioribus præmittendo. Sed Augustini opus non est.

culpæ; alias falsum esset: quia quædam sunt tantummodo pœnæ, & nullo modo culpæ.

Ponit Deus offendiculum, dum scilicet impedimenta peccati non subtrahit.

Non tamen potest dici pœna peccati, scilicet alterius: quia illa pœna quæ sequitur, ejusdem peccati pœna est quod eam effecit.

Nec tamen in quantum peccata sunt, à Deo sunt. Quia peccata sunt aliquid, in quantum à voluntate procedunt; sed pœna peccata fiunt, secundum (6) quod invenitur in eis aliquid voluntati repugnans, ut dictum est.

Vel de homine secundum statum liberi arbitrii. Ista solutio non videtur conveniens: quia præcepta legis homini post peccatum data sunt, de quibus Hieronymus Pelagius loquutus est.

non de hominibus hoc esse intelligendum. Sunt ergo aliquæ res quibus homines mali sunt. Id autem quo homo fit deterior, à Deo non est: quia, ut ait Augustinus in Lib. LXXXIII. Quæstionum quæst. III. Deo auctore non fit homo deterior. Non est igitur auctor Deus rerum quibus homo fit deterior. At sunt aliqua res, ut dictum est, quibus homines mali fiunt. Sunt etiam ergo aliqua res quæ à Deo non sunt, quia peccata ipsæ sunt. Ideoque Scriptura in pluribus contestatur locis, Deum non esse auctorem malorum, idest eorum quæ peccata sunt.

Ex parte eorum præmissa opponitur sententia in illo verbo, Deus auctor malorum non est.

In hoc autem verbo superiorum sententiæ recte opponitur, qui dicunt Deum non esse auctorem eorum quæ mala sunt, in quantum mala sunt; sed in quantum sunt, & in quantum mala sunt, dicunt ea nihil esse. Quid igitur mirum, si Deus dicitur non esse auctor eorum, in quantum nihil sunt, (1) cum nihili nullus actor existere queat? Ideoque cum dicitur Deus auctor esse omnium quæ sunt; bonorum, isti subintelligi volunt. Bona autem illa dicunt esse quæ naturaliter sunt; ea vero naturaliter dicunt esse, non solum quæ substantiæ sunt, vel concreta substantiis, qualiter supra acceperunt, sed & omnia quæ naturam non privant bono: & ita secundum eosdem multiplex in Scripturis fit intelligentia, ubi de natura, sive de substantiis, vel de his quæ naturaliter sunt, sermo occurrit. Sed super illum locum Psal. LXXVIII. „Non est substantia,“ ita Augustinus de substantia disseruit, ut præmissæ sententiæ videatur consentire, dicens: Substantia intelligitur illud quod sumus, quidquid sumus: homo, pecus, terra, sol, omnia ista substantiæ sunt, & eo ipso quo sunt, nature ipsæ substantiæ dicuntur. Nam quod nulla est substantia, nihil omnino est. Substantia ergo est aliquid esse. Deus fecit hominem substantiam; sed per iniquitatem lapsus est homo à substantia in qua factus est. Iniquitas quippe ipsa substantia non est. Non enim iniquitas est natura quam formavit Deus; sed iniquitas est perversio quam fecit homo. Naturæ omnes per ipsum factæ sunt. Iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas non est substantia. In illo autem hymno trium puerorum universa creatura laudans Deum commemoratur. Laudant enim omnia Deum, sed quæ fecit Deus. Laudat ibi serpens Deum, sed non avaritia: omnia reptilia ibi nominata sunt; sed non aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex nostra voluntate habemus, & vitia non sunt substantiæ. „Intendant ex his verbis diligenter præmissarum assertores sententiarum, & percipere poterunt rationem, & causam dictorum, ubi Scriptura de natura, vel substantia mentionem facit. Illarum vero sententiarum iudicium prudentis lectoris, cui utriusque sententiæ notitiam plenarie dedimus, arbitrio relinquimus, ad ea quæ adhuc nobis supersunt, tractanda festinantes.“

Quod de peccato, non de pœna intelligitur, cum dicitur Deus non esse auctor mali.

CUM igitur in hoc omnes consentiant catholici tractatores, scilicet quod Deus non est auctor malorum; cavendum est tamen ne malorum nomine pœnas, sicut peccata, generaliter includas. Pœnarum enim Deus auctor est, sicut ipse per Prophetam ait Amos III. 6. „Non (2) est malum in civitate quod Dominus non fecerit.“ Idem alibi ex persona sua ait Isai. XLV. 7. „Ego sum Deus (3) creans malum, & faciens bonum.“ Ecce hic dicitur creasse, & fecisse malum. Sed mali nomine pœna intelligitur, non peccatum; sicut è converso cum dicitur, Deus non est auctor malorum, nomine mali peccata intelliguntur. Ideoque Augustinus, qui dixerat in Lib. LXXXIII. Quæst. quæst. XXI. quod Deus auctor mali non sit, in I. Libro Retractat. cap. XXVII. quomodo id intelligendum sit, aperit, dicens: „Videndum est ne male intelligatur, quod dixi: Deus auctor mali non est: qui & omnium quæ sunt, auctor est, quia in quantum sunt, in quantum bona sunt: & ne hinc putetur, non ab illo esse pœnam malorum, quæ utique malum est his qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, sicut dictum est Sap. I. 13. Deus mortem non fecit: cum alibi Eccli. XI. 14. scriptum sit: Mors, & vita à Domino est. Malorum igitur pœna, quæ à Deo est, malum est quidem malis; sed in bonis Dei operibus est: quoniam justum est ut mali puniantur; & utique bonum est omne quod justum est. Sic ergo dicitur Deus non fecisse mortem: quia non fecit illud pro quo mors infligitur, idest peccatum.“ Audisti, lector, causam dictorum: ex qua intelligentia sana firmatur, cum dicitur: Deus non est auctor mali, & Deus mortem non fecit.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam tractavit illam opinionem quæ ponebat, actus peccatorum, in quantum sunt, bonos esse, & à Deo; in hac distinctione prosequitur aliam opinionem oppositam, quæ ponit eos nullo modo à Deo esse: & dividitur in partes duas. In prima prosequitur istam opinionem quantum ad hoc in quo à præcedenti differt. In secunda determinat quoddam in quo ambæ opiniones conveniunt, quod scilicet Deus, quamvis non sit auctor malorum quæ sunt culpæ, est tamen auctor pœnarum, ibi: *Cum igitur omnes in hoc consentiant catholici tractatores, scilicet quod Deus non est auctor malorum; cavendum est tamen ne malorum nomine pœnas, sicut peccata, generaliter includas.*

Circa primum tria facit. Primo narrat eorum opinionem. Secundo ponit responsiones eorum ad rationes, quibus alia opinio innitebatur, ibi: *Ille quoque Augustini verba... de naturis, sive de substantiis tantum accipienda fore tradunt.* Tertio ponit rationes ad impugnandum prædictam opinionem, ibi: *Ex quo colligitur res aliquas esse quæ à Deo non sunt.* Et circa hoc tria facit. Primo ponit rationes contra primam opinionem. Secundo ex dictis concludit quoddam, quo ista opinio innititur contra objectiones quæ possent fieri, ibi: *Ideoque cum dicitur Deus esse auctor omnium quæ sunt; bonorum, isti subintelligi volunt.* Tertio utriusque opinionis iudicium lectori relinquit, ibi: *Intendant diligenter his verbis præmissarum assertores sententiarum.* Prima dividitur in duas, secundum duas

[(1) Al. cum vel nullius. (2) Vulgata: „Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?“ (3) Vulgata: „Faciens pacem, & creans malum.“